

culare, sed inde non sequitur: E. h. l. illa præ aliis in-
 nui credendum est; nam utrumque & aliis convenit
 peccatis; Quid? quod per *totam* epistolam multa qui-
 dem ac varia perstringantur vitia, sed *lasciviæ* nusquam
 fiat mentio; Et quam misere Interpres se torquere
 necessum habet, si ostendere qualitercumque velit,
 quomodo *lingua*, non tam in *aliis*, (quod ostendi for-
 san quodammodo possit) quam in *unoquoque homine*
ipso, lasciviam incendat, vid. cit. Auçt. §. LIII, LIV.
 Quoad *scopum* autem plane precarium imo falsissi-
 mum est, quod JACOBVS in *hac epistola* ac in primis
 C. III, I. eosdem mali commatis Doctores redarguat,
 contra quos & PETRVS & JVDAS in *Epp. suis* cala-
 mum strinxerint; contraria quævis ex iis, quæ *supra*
ad x. I. h. c. annotavimus, patere arbitramur.

§. XV.

Recensitis hætenus sententiis, quæ phrasi *προχος γενεσεως* ad hanc illamve C. H. partem respici statuunt,
 ad eas nunc pergimus, quæ ad totum hominem eandem
 referunt; Pertinent autem ad hanc II. Classem omnes
 isti Interpretes, quibus vox *γενεσεως* notare hic visa est
 vel *nativitatem* hominis, vel *vitam* ejus, vel *naturam*.
 A) Qui *γενεσιω* de *nativitate* accipiunt, (quatenus
 nim. hæc vox descendit a verbo *γενωμαι* in signifi-
 catu *Fio*) iis *προχος γενεσεως*, (genitivo *γενεσεως*, *nati-*
vitatis, posito pro *adjectivo* *γενεσιος*, ad *nativitatem*
 pertinens, seu, *natalitius*) videtur notare posse *Sidus*
natalitium, a quo Gentiles, ut cetera, quæ in terris
 fiunt,

fiunt, ita inprimis recens nati uniuscujusque homi-
 nis secuturam totam suspendebant vitam; Sic quidem
 Cel. MICHAELIS in NN. ad Bensf. antequam plane
 GROTHII sententiæ supra memoratæ calculum suum
 adjicit, hanc profert interpretationem, dubio procul
 Hammondæ debitam, etsi aliter paulo ab ipso inflexam:
 si omnino, inquires, *τροχόν* cum accentu in ultima
 legere oporteat, ac verti, *rotam nativitatis*, crede-
 rem respici orbem cœlestem, qualis est circa horam na-
 scendi, seu thema genethliacum, hoc vero, petita ab
 Astrologis superstitionis phrasi, significare posset comple-
 xum actionum humanarum, & rotam nativitatis accen-
 dere, foret, omnes hominis actiones totamque vitam liti-
 bus & atra face turbare; Videtur ipsi hæc locutio pul-
 cra esse & elegans, nec obesse origo supersticiosa,
 quam eandem fere in phrasi Apostoli C. I, 17. ob-
 servare liceat; Enimvero alii a) vix a se impetrabunt
 ut Apostolum credant a vanis & superstiosis Astro-
 logis phrasas suas mutuatum esse, & quæ C. I, 17.
 exstant, non Astrologia sed Astronomia Jacobo suppe-
 ditavit; b) Orbis cœlestis, qualis est circa horam na-
 scendi, repræsentat phantasiam Astrologi eventus vitæ
 hum. seu fata hominis, unde & HAMMONDVS
τροχόν γενεσεως de his exponit; Qui erga JACOBVS
 hac phrasi notare potuit complexum actionum humana-
 rum, quæ quidem in se nexum habent cum fati ho-
 minis, sed tamen illud non sunt, quod thema geneth-
 liacum repræsentat? Propius certe B) ad verum ac-
 cedunt illi, qui *γενεσιν* hic accipiunt in significato *Vitæ*,
 quem

quem quidem etiam habet a verbo *γινομαι*, sed quatenus notat *Sum*, imo & *Vivo*, uti observat PERIZONIVS in *Origg. Babyl.* p. 14, 15. Idoneis exemplis hanc significationem adstruit J. C. SCHWARZIVS in *Lex. Gr. N. T. ad h. v.* & ANONYMVS in *Mus. Helv. P. VIII.* p. 516. Nos ex multis seqq. tantum delibamus: In L. JVDITH C. XII, 19. quid aliud notare possunt *πασαι αι ημεραι της γενεσεως*, quam, omnes dies *vita*? similiterque in L. SAP. Cap. VII, 5, 6. *γενεσεως αρχη*, non *nativitatis*, sed *vita* initium significare potest; mox enim idem exprimitur per *εισοδον εις τον βιον*, ubi *τη αρχη* nunc *εισοδος*, & *γενεσαι* nunc *ο βιος* respondet; Apud ARISTIDEM T. I. *Orat.* p. 132. *οι παρελθοντες ηδη της γενεσεως ενιαυτοι* sunt antegressi (utiue non *nativitatis*, sed) *vita* anni; & HIEROCLES in *Photii Bibl.* pag. 1388. *την θεϊαν ευζωϊαν & θνητην γενεσιν*, *beatam Dei vitam*, & *vitam mortalem*, inter se opponit. Pro certo itaque haberi potest, *γενεσιν* bonæ notæ auctoribus in usu esse pro *vita*, forte quod *vita* rerum creatarum nihil est aliud, quam *continuata* quædam *nativitas*, ut cui singulis momentis tantundem propemodum, quantum decedit, denuo accedit, unde ARISTOTELI *de Respir. C. XVIII.* *η ζων* est *η μονη της γενεσεως*, *ortus mora*. Ecquid autem jam porro est *ο τροχος*, *rota vitæ*? a) Intactam hic relinqueremus mirabilem illam interpretationem AVGVST. *de QUIROS*, *Fes. Hisp. superioris seculi*, in *Comm. ad Ep. Jac.* nisi recentius ea fautores nacta esset, celebrati in rep. lit. nominis.

Sta-

Statuit nim. ille, phrasin τροχος γενεσεως respicere ad antiquissimum illud supplicii seu tormenti genus, cuius jam Prov. XX, 26. mentio fiat: *Rex sapiens impiorum conquassator est, και επιβαλει αυτοις τροχόν. & rotam agitabit super illos, cui supplicio aut tormento & ignis olim adhibicus fuerit.* Sensus itaque hic foret: linguam inflammare iram hominis seu excandescentiam, quæ sit *rota*, i. e. cruciatus sive tormentum, vitæ nostræ; conf. de ROA pag. 91. s. qui & ipse hanc interpretationem laudat; Plane vero eandem adoptat & pro viribus ornat, (vel potius ut novam & a se inventam proponit) Cl. G. D. ΚΥΡΚΕ, Prof. Regiomont. Obs. ff. T. II. pag. 423. s. per γενεσιw vitam intelligens, per *rotam* vero cruciatus hujus vitæ, quam *rotam inflammare*, sic *augere illos*, uti το inflammari a gehenna ad pœnam spectet, quam cum toto homine lingua apud inferos sentiet Luc. XVI, 24. Est, cur miremur, etiam Cel. MICHAELIS laudare eam potuisse ut eruditam, neque plus in ea desiderasse, quam quod minus constet, quid, hac admissa explicatione, vocabulum γενεσεως sibi velit? cum nil non in ea coactum sit; Quis sibi persuadeat, Apostolum hanc sententiam: quod *lingua ad tormenta hominum multum conferat*, ita exprimere voluisse: *lingua inflamat rotam vitæ? Rota nativitatis auctori hujus interpretationis est excandescencia*, quæ est *tormentum vitæ*; num lingua hanc *rotam inflamat?* annon potius *excandescencia animi linguam inflamat?* & quam contorte *excandescencia comparatur rota?* Melius omnino suos sub-

ducunt calculos b) ii, qui τροχον γενεσεως exponunt
 per *curriculum vitæ*; Atque hic α) occurrit BROCH-
 MANDI, CALOVII, *aliorumque* expositio, qui per
 τροχον γενεσεως quidem intelligunt *rotam naturæ*, sed
 ita, ut phrasi hac metaphorica nil aliud innui dicant,
 quam *curriculum vitæ*, quatenus vita nostra, instar
rotæ, a primo nativitatis momento usque ad ultimam
 rerum lineam, mortem, continue decurrat; Hoc
 autem vitæ curriculum *inflammari* ajunt a lingua,
 quatenus hæc omnes vitæ partes, seu *ætates*, & *pe-*
riodos, accendit ira, libidine, superbia, aliisque sce-
 leribus, cum nullum vitæ tempus vacet ab incommo-
 dis, quæ a lingua ortum trahunt, non pueritia, non
 juvenus, non senectus. Enimvero aliud est *rota*,
 aliud *curfus rotæ*; *Rota* incendi dicitur, non ejus *cur-*
sus, & quam durum est, diversas humanæ vitæ *ætates*,
 pueritiam, juventam, & senectutem, *rotam* adpellare?
 Probabilior est β) nostro judicio, illa sententia, sec.
 quam, *rotam vitæ* inflammare, nil aliud est, quam
vitam mortalem, quæ velut *rota* semper ad interitum
 ruit, *urgere*, *agitare*, *impellere*, quo incitatus volvatur
 & ruat, h. e. vitæ cursum præcipitare, ad finem im-
 pellere, maturare mortem, id quod *linguæ* hic tribui
 dicitur; Immo vero id ipsum *iræ* potius, quam *linguæ*,
 ab ira animi incensæ, tribuendum est, neque *urgere*
 & *impellere* *rotam*, ut citius decurrat, est *inflammare*
 illam; BENSONIUS quidem, in summa rei idem
 sentiens, emphasin τὸ *inflammare* sic repræsentat:
 Vita hominum *rotæ* comparatur, quæ, cum nascimur,
 move-

moveri incipit, citoque motu usque ad mortis tempus volvitur; quæ quasi rota, ubi agitante lingua justo plus festinat, ignem concipit, quo *tota machina consumitur*; Sed recte MICHAELIS in contrarium monet, quod Jacobus h. m. credatur comparationem instituere cum eventu, qui rarius accidit, cum raram sit ac insolens, rotam ex cursu nimis fervido incendi & conflagrare; Addimus nos: non de malo *pœna*, sed *culpa*, in contextu loqui Apostolum.

§. XVI.

Supersunt C)tio in II. Classe Interpretum illi, qui ambiguo vocabulo γενεσις h. l. adsignant notionem *natura*, ut idem notet, quod φυσικὴ ψ. 7. a) Hoc certe sensu illud α) adhibuit Apostolus noster *supra C. 1, 23.* ubi προσωπον γενεσεως varias quidem passum est interpretationes, sed maximam partem tales, quæ ultimato resolvuntur in hanc, quod significetur facies *naturalis*; Non alienum erit, *huic loco* paullisper immorari, cum quilibet Auctor sit optimus sui Interpret. Versio latina vetus vertit, faciem *natalis sui*, satis obscure; Vulgata Hieronymiana, vultum *nativitatis suæ*, æque obscure; neque enim tolerabilem sensum fundunt hæ versiones, nisi, *faciem nativitatis*, ita resolves: faciem, qualis est a *nativitate*, a *natura*; quo sensu EUSTATHIUS ad *Odyss. XV.* τὴν εἰκόνα τε ἐκ γενεσεως προσωπε dixit; HAMMONDVS ait, olim sibi vitium esse προσωπον γενεσεως esse posse *schema nativitatis*, sensu astrologico, ἐσοπτρον vero speculum artificii-